

**www.e-rara.ch**

**Euphēmiai ad ornatissimum doctrina, virtute & fide virum, d.  
Reimarum Seltrechtum, philosophiae magistrum, iuris candidatum,  
Altorphio ex academia Norimbergensi Basileam proficiscentem,  
petendae ...**

**Rittershausen, Konrad**

**Basileae, 1596**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7784>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---


**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Catalog



E Y Φ Η Μ Ι Α Ι

*Ad Ornatissimum doctrina,  
virtute & fide  
Virum,*

D. REIMARVM SELT-  
RECHTVM, Philosophiæ  
Magistrum, Iuris Candida-  
tum, Altorphio ex Academia  
Norimbergensi Basileam  
proficiscentem, petendæ  
Supremæ in utroque  
Iure laureæ

*Scriptæ ab amicis.*



B A S I L E Æ,  
Typis CONRADI WALDKIRCHII.  
C I O I O X C V I.

Kirchenbibliothek  
Basel.







CYNRADI RITTERSHVSI IC.

EPOS.

**T** Vne etiam, REIMARE, sequens exempla priorum,  
Qualia Lucinus dedit, ac dilectus Adolphus,  
Mulloruscé meus, vel Seckendorffius, ille  
Nobilium decus & probitatis amabile lumen,  
Tunc etiam à nobis subitò, REIMARE, recedis,  
Communem viduans mensam, quæ glutine firmo  
Conjungens animos eterno adstrinxit amore  
Me tibi, teq; mihi, sermonum conscia sepè,  
Qui nec doctrina, qui nec pietate remoti,  
Non etiam nullo tincti sale sive lepore,  
Alterum in alterius cordis penetrare latebras  
Arcanas dederunt, & mutua cernere sensa?  
Multa equidem ipse in te vidi dignissima amari,  
Nec nihil in me tu, licet hoc modicum exiguumq;  
Sed tuus id magnum, velut assolet, esse videri  
Fecit amor, candorq; & nullo sublitâ fuco  
Mens animi, & gravitas blandiri nescia falsò.  
Testes laudo, fide dignissima pectora, magno  
Cum Wesembecio, Volcartum, Scipiademq;  
Quecchiademq; meum, & Taurelli ac Scherby acumen,  
Debitumq; tuum, qui jam & meus incipit esse.  
Omnibus his veluti presens in amore, fuisti,  
Si c desiderium discedens triste relinquis.  
Parva loquor. Quocunq; pedem, REIMARE, tulisti,  
Omnibus acceptus commendatusq; fuisti.  
De me quid dicam? Non sic divulsus Oreste  
Indoluit Pylades, non sic Davide diremptus  
Ingemuit Ionathas, qualem gemitumq; doloremq;

Adfert ista mihi discessio. Si mihi vitam  
Degere fata mei ingenij pro lege dedissent,  
Nexibus & nisi me invicto ex adamante ligassent,  
Ah quam dulce foret, commune iter istud habere  
Tecum, & sermonum grata vice fallere longa  
Tedia amara via, ac communem aliquando per umbram  
Aut dulcis Bacchi aut Pomone carpere dona,  
Longos per tractus, multaq; ambage viarum  
Dum petitur Basilea tibi: quando antè videbis  
Clarum Ingolstadtum, Neoburgensisq; Palat  
Splendorem, Augusteq; industria mœnia celsæ,  
Teutonico Venetos spectandos qua dat in orbe:  
Vlmamq; & veteris præclara Lycea Tubingæ,  
Quaq; aulam Stugardiacam mons plurimus ambit,  
Pampineo latè circum vestitus amictu,  
Tectaq; Friburgi Themidi Musisq; dicata:  
Visa etiam nobis loca quondam, utrumq; videri  
Digna, modò votis bona scæva etiam annuat istis.  
Hæc obiter, velut in transcurso, nam Basilea  
Mita tuo fixa est animo, hic tibi portus honorum,  
E vasto turis pelago, hinc te præmia tandem  
Digna manent studij, indefessorumq; laborum,  
Quos Sophiæq; fuit Themidiq; impendere longè  
Dulce tibi, Haud aliter juvenis, cui sponsa virago  
Aut pacta aut sperata aliqua est, hanc servat ubiq;  
Clausam animo: hanc oculis circumfert, totus in illa:  
Seu vigilet, seu somnus eum circumtegat alis,  
Illius oris honos virtusq; subinde recur sat,  
Optato quoad in thalamo connubia firmet.

Et certè, REIMARE tibi, si vera fatendum,  
Debita jam satis est hæc laurea tempore longo,  
Dignus & hac sponsa jam pridem, sponse, fuisti.  
Gloriaq; tanto tua jam cumulatior exstat,  
Quanto dilata est magis, hinc & postuma vivet.

At properatus honos, velut herbula solstitialis,  
Nascitur, ut pereat, finisq; in origine prima est  
Dicite cultoris laudes, age, dicite Musæ,  
Atq; aliquod nobis dignum ipso fundite carmen.  
Vos ipsi primo blandum arrisistis in ortu,  
Et vestri dulcem puero afflavistis amorem.  
Hinc adeò teneris vos est complexus ab annis,  
Doctum Heliconæ colens, vestris gaudensq; choreis:  
Maturè specimen, qualis quandoq; futurus,  
Præclarum de se præbens. Te appello, Stetinum,  
Et te, VVolgastum, Pomeranarum urbium ocelli,  
Dicere, vos testes, me consentanea vero.  
Vos puerum hunc gremio, hunc juvenem fovistis ami-  
Osq; hominis tenerum lingua formastis utraq;  
Et Graia & Latia; imò etiam erudistis Hebræa,  
Artibus inq; bonis fundamina iusta locastis.  
Bergius ô quoties, quoties Puteanus, & ille  
Machtius, eximium Pomeranis lumen in oris  
Qui fuit, & nostro huic materno sanguine junctus,  
O quoties alij, emergens quibus obvia virtus  
Lumina præstrinxit, præsagis vocibus usi:  
Quicquid erit puer hic, certè haud è plebe futurus  
Doctorum est: tanta micat indolis instar in ipso  
Iam nunc, ceu fructum per flores indicat arbor.  
Sic illi: Quorum haud præsagia vana fuèrunt.  
Doctrinâ namq; & superans virtutibus annos,  
Aequalesq; suos longè post terga relinquens,  
Cæpit, qua discunt pleriq; etate, docere,  
Inq; alios, quæ condiderat, transfundere, mente:  
Qualis ager pingues per sulcos sparsa refundit  
Gratus, & in largas diducit semina messes.  
Talis & hic, mores puerorum atq; ora figurans,  
Reddidit acceptas patriæ cum fenore dotes.  
Pòst, ferulus longè à se spernens Orbiliorum,

Vnica quorum ars est, pueros terrere tuendo  
Toruūm, tum passim sine more ac lege ferire,  
(O servile genus nimis, adq̄, ergastula natum!)  
Ingenuisq̄, animis virtutum extinguere sensum  
Igniculos, prius ut puer artes oderit omnes,  
Literulas tali in ludo quā̄m discat amare:  
Illorum pertasus, & ad majora vocatus  
Applicuit studijs animum civilibus, ac se  
Impendit patria: in qua munere functus honesto,  
Civibus impigrum se prestavit & peregrinis  
Omnibus: ut nemo hunc nosset, qui non & amaret,  
Et sibi perpetuūm presta hunc optaret habere.  
Talibus & gradibus conscendit Zasius olim  
Ad tantum, quantum patet orbi, culmen honorum,  
Omnibus acceptus, venerabilis omnibus equè.

Major honos alibi sed nostrum quando manebat,  
Ex patria solvens & munia ritè refutans,  
Se tulit huc, clarā quā̄ lambit Leucorin Albis:  
Ut tibi pressa olim vestigia, die Luthere &  
Die Philippe tibi legeret gratissimus hospes,  
Doctior utq̄, pios cineres veneratus abiret.

Hic ego quid memorem, quā̄ sedulitate fideq̄  
Incubuit luriq̄, simul diēq̄, Mathesi?  
Scilicet excessā scandens super athera mente,  
Humanis pariter studijs cœlestia junxit,  
Atque boni fontem & veri penetravit ad ipsum,  
Naturæ rimatus iter: quā̄ temperet omnem  
Hanc mundi Deus arte domum: Cur menstrua Phœbe  
Cornibus in plenum consueta redire coactis:  
Deliquium unde sui patiatur luminis ipsa  
Et frater: terra cieat quā̄ causa tremorem,  
Crinitiq̄, facem generet quā̄ causa comete:  
Quā̄ nubes, & quā̄ nebulas, imbresq̄, nivesq̄,  
Et ventos: quā̄ arcum cœlestem causa coloret:

Partibus

Partibus & quare decurrat quatuor annus:  
Cur diversa adeò sint anni tempora & hora:  
Cur, licet innumeros fluxuos mare ventre receiptet,  
Non tamen exundet, nec fines transeat unquam  
Præscriptos sibi, nec valeat vi omni superare  
Litus arenosum, proprio ac se comprimat alveo.  
Et que alia obscuris abdit Natura latebris.  
Hinc didicit parvi mortalia pendere rerum,  
Solâq; mirari & cœlestia suspirare.

Addidit & mores hominum que informat & urbes,  
Doctrinam, & Iuri nostro incunabula præbet:  
Quò legum fontes scrutari rectius ipsos  
Posset, & inventis studium dulcesceret omne  
Principijs primis, unde omnia cetera pendent.

Quin etiam humana que agnata est Musica menti,  
Laudatrixq; Dei atq; Heroum dia Poësis  
Ipsi exculta fuit, prompto, seu posceret usus  
Vocem, sive manus, animos mulcere canendo.  
Omnia sed præ illa, que cœlitus edita venit,  
Pro nihilo duxit doctrinâ: Huic omnia cedant,  
Hanc quasiraginam famulanti vertice adorent  
Omnia, discendo que mens humana per agrat.

Hasq; aliasq; viri dotes cum cerneret alma  
Leucoris, huic iusta persolvens præmia lance  
Imposuit laurum capiti, ac dedit esse magistrum.

Non stetit hac fini SELTRECHTI industria, sicut  
Multis hunc titulum, hoc nomen, satis esse videmus,  
Quos sua perpetuis tenebris ignavia damnat.  
Ille ultra tendens, nil quicquam credidit actum,  
Dum superesse aliquid mens ardua vidit agendum.

Ergo Palatinam Saxosus quâ Nicæ urbem  
Alluit atq; arcem, antiquum spectatq; Lyceum.  
Huc migrans, Themidos sacris jam totus inheret,  
Vt qui jam propius metam spectaret amatam.

iamq; adeò recto docta in cathedra pede fixo,  
 Obscuros potuit Legum depromere sensus,  
 Et clarare alijs multum sermone disertio,  
 Atq; aduersa virum dextrè defendere tela.  
 Sed cum manca sit ars, cui non coniungitur usus,  
 Adq; forum in primis Prudentia nostra refertur,  
 Vicinum crebrò lustrans Spirense tribunal,  
 Teutonici vinculum Imperij, & Iuris asyllum,  
 Causarum hinc specimen sumpsit, quoq; ordine agenda  
 Sint lites, animo multum vigilante notavit.  
 Multis ille quidem gratus carusq; ; sed uni  
 Ante omnes Adriane tibi, quo Borckia sese  
 Gens effert, longeq; alias supereminet omnes,  
 Quas habet in sese tellus Pomeranica gentes.  
 Tandem etiam huc, ubi se Musis gratissima tempe  
 Expandunt, ubi magnifico tecta ardua cultu  
 Extruxere Patres, quis Norimberga superbit,  
 Consilijq; alias florens ante eminent urbes:  
 Huc etiam venit gratissimus omnibus hospes,  
 Atq; virum talem nobis se praeiuit usque,  
 A quo alij peterent vivendi exempla probata.  
 Pluribus haud opus est, Musæ: nisi ut omne iter ipsi  
 Prestetis placidum, conservetisq; clientem  
 Quò quò perveniet, tuta & statione locetis.  
 Tuq; adeò, Basilea, virum cum venerit hospes  
 More tuo facile excipies, votiq; potitum  
 Dimittes blandè, quo fata Deusq; vocabunt.

Cunradus Rittershusius IC.

facieb. L. M. Q. Altorphij

a. d. IIX. Septembr.

M. D. XCVI.

Ad



Ad eundem  
GASPERIS SCHOPPI FRANCI  
Philologi & Poëtæ Nobilis  
M E L O S.

**A** T ipse nulla sim meritò reï  
Nugasq; valde, iudicium mei  
Rittershusi si non probare  
Teq; meis viduum Camenis  
Amittere à me sustineam, integris  
SEL TRECHTE pollens moribus. & fidet.  
Satis probatus, jure nobis  
Cujus amicitia invideri  
Potestur: hercle nos juvenes nimis  
Periculosam ludimus aleam, à  
Doctis seorsum sentientes  
Quaq; viris, juvenilitatis  
Ardore nostra. Te tamen optimâ  
Cum pace, queis te condecoram modis,  
Honoribusve accedat à me  
Pars quotacumq; tuis, rogatum  
Velim ipse: cum te miscuerit viris  
Iam Phœbus olim Mercurialibus,  
Quorumq; nomen passa non est  
F A M A locis habitare solis;  
Et Diva legum vera docentium  
Astræa præses, cui bone sedulus  
Secesseras, tua ecce russo  
Tempora condecorat galero,


Sibiq; puris te manibus cupit,  
Secusq; multò nunc operarier,  
    Crumenimulgarum atq; sueta est,  
    Pragmaticos mihi se inferentùm,  
Invisa docto natio judici,  
Quæ fas & albis Jus mala dentibus  
    Ridet solens, nullaq; si sint  
    Liticula serit usque lites.  
Temente mi ergo ignoscere candida  
REIMARE fas est, si huicce superfluo  
    In laudibus tuis canendis  
    Ipse super sedeam labori.  
Nam ut numquam adaquè mi videar bene  
Potesse laudes (quas quoq; talibus,  
    Qui te priorem profitentur,  
    Iure bono, soleo erogare)  
Atq; heic, meas largirier: attamen  
Negorij rem nullius esse eam  
    Cuncti putant, unum quod omnes  
    Ante canunt memorare velle.

Faciebam Ingelstadij benivolentiæ  
testandæ XXVI. Septemb.  
Anno IVC.

---

Aliud.





Aliud.

M. CUNRADI ASLACHI  
Bergensis.

**V**idi ego certantes inter sese ordine Divas;  
Reimari cūinam cederet ingenium.  
Has inter LOGICE Mentem qua fingit & Ora,  
Cedite, ait, procul hinc Reimarus hic meus est.  
Debetur nobis: nobisq; juvantibus apto  
Quòd sermone valet, quòd ratione viget.  
Surgit ARITHMETICE multùm indignata, sorores;  
Reimarus totus, cedite ait, meus est.  
METRICA sed soror huic castans, germana quid inquis  
Nostin' à teneris quòd fuit ille meus?  
MUSICA, que grata recreat dulcedine mentem  
Melli suo exhibens anxia corda sono;  
Seu placet arguto modulari gutture carmen,  
Seu pulsare chelyn, cedite, ait, meus est.  
Ast DEASACRA caput niveo decorata pudore:  
Reimarus vera est Relligione meus.  
Iusticie rectrix THEMIS hinc sic ora resolvit  
Reimari primas vindico jure meas.  
Clio, Thalia, Polymnia, Melpomeneq;  
Calliope, Euterpe, Terpsichore, Urania:  
Iuno, Diana, Ceres; Charites, Venus alma, Camæna:  
Reimarum quavis jactitat esse suum.  
Iupiter ex alto, qui prospicit omnia Olympo,  
Iudicium hoc inter protulit, ecce, deas:  
Reimarus Musis debetur is omnibus aequè,  
Ille colens omnes unus amore pari.

*Omnibus unus erit decus ac opobalsama Nymphis  
Cui fuit erga omnes comes amicitia.  
Sed Themis alta virum laURO decorabis & AVRO:  
Tu Doctōrali tempora fasce premes.  
Vos reliquæ huic tanto mecum gratamini honori,  
Huncq; alacres festum concelebrate diem.  
Reimari id siquidem meruit doctrina, fidesq;  
Certatim hunc omnes dij; deaq; colant.*

Faciebam Basileæ veteris  
amoris & benevolentia  
ergo.

F I N I S.

